ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissime, amplissimeq. Hugeni,

diu est, quod nihil ad Te literarum dederim, non quod scribere noluerim, sed quod potuerim minus. Adeò mihi animum pene omnem expectoravit pertinax ille morbus, cui à nigro sanguine nomen est. Eum cum iam per Dei gratiam edomuerim, ad intermissum ~~stili~~ styli officium revertor. Nec sinunt me diutius elinguem esse publica gaudia, quibus luculentam materiam praebuit heroica Principis nostri fortitudo, & prudens audacia. Jam Musis tristior valedixeram, iam abdicaveram à me Phoebum, Gratias omnes, et studia illa amoeniora, quibus, cum liberalius otium suppeteret, impensius addictus fui. Verum uti vos in castris dormire non patiuntur terribilia ista nomina, Gonzala & Pappenheimius; ita & mihi veternum excutiunt Principis Auriaci stupendi ausus ac felicissimi successus. Malui itaq. balbutire, & dissonum epos modulari, quam obmutescere, praesertim cum amicorum me voces hortarentur, ne ~~de~~ grande hoc Reip. nostrae incrementum indictum sinerem. Tentavi itaq. veterem cantum, qui si minus placebit excussis ad omnem elegantiam auribus, officio tamen candidissimi ac profusioris in Patriam ac Principem affectus probari forte utriq. poterit. Vivo hic in paludibus, crassiore circumseptus aere, à quo divinioris aurae particulam nonnihil infici, non est quod mirere. Experior, quid distent Baiae & Minturnae. Sed ecce, ad usitatas preces devolvor, mi Hugeni, et ut exemplar Poematis mei Principi Auriaco exhibeas, serio rogo; nisi iudicas intempestive Musas Marti obstrepere, castrensibus iam negotiis impedito. Quare arbitrii tui esto, vel ut iam exhibeantur, vel alias, et alibi. Voluissem limatius quid scripsisse, sed non vacat diu hisce studiis immorari. τὰ πάρεργα nunc sunt, quae olim ἔργα fuere. Quamobrem Areopagitica iudicia & Minois subsellia deprecor. Non semper tonat in nubibus Juppiter, sed subinde murmurat, nec fulminat semper, sed & fulgurat. Vale Hugeni clarissime et nobilissime, nec Barlaei tui penitus dememinisse velis. Amstel. 11 Sept. CIↃIↃCXXXIII.

N. T. observantissimus

Caspar Barlaeus

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 54
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/706

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 54
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/706

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 54
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/706

Aen mijn heere
mijn heere Constantinus Huijgens
heere van Zuilichem Secretaris
van sijn Excellentie
Ex.tie

Int Leger

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 54
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/706